



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Amatus Conf. 8. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Despiciendus à nobis hic mundus fuerat, etiam si  
rebus prosperis demulceret animum. At postquam tot  
flagellis premitur, tot nobis quotidie dolores ingeminat,  
quid nobis aliud, quam ne diligatur, clamatur? S. Greg.

1.3. Dial.

## S. AMATUS CONF. 8. Maii.

**A**MATO Saludecium patria fuit. Parentibus  
in tenerâ ætate amissis, multa tulit, fecitque  
puer & adolescens, etiam viris imitanda. Amor  
castitatis prima illi bella excitavit, feminâ classi-  
cum cantante, proprio sexûs sui genio. Ea fratri  
AMATI nupta, filiam, quam priore conjugio tule-  
rat, cum AMATO sponsam obtruderet, repulsam  
ultimis odiis ultra est, quibus etiam fratres collisi-  
sunt, exiguo tamen AMATI incommodo, depu-  
tantis in lucro, si virtutis causâ nomē suum amit-  
teret, fieretque exosus: Numinis tamen benevo-  
lentiam omnibus officiis captavit, in pauperes  
tam prodigus, nihil ut sibi relinquere, sed locatâ  
promiscue operâ, famem sustentaret: in emaciato  
nihilominus corpore flagro ferreo non modò me-  
moriā sed imaginem Christi patientis renova-  
bat; hoc quoque illius assecutus, ut pro malesano  
habitus publica civium suorum fabula fieret. Sed  
despectum orbi cælum ad se rapuit, tam familiari-  
ter quidem, ut inter castas preces evolantem ad  
Superos animum etiam corpus sequeretur. Cre-  
scentem eo miraculo AMATI famam frater fœdo  
crimine fugillavit, stupri commercium ei cum  
Clara sorore Deo sacratâ affingere ausus. Sed  
ambulantem in jus sol absolvit abollam ejus in-  
tercipiens, suisque radiis sustentans. Iisdem illu-  
strata AMATI est sanctitas; sed ille proditorem  
suum

suum fugiens, inter sacras peregrinationes consenuit, in hospitali denique pauperū domo, quam suis impensis erexerat, mortuus. Corpus nondum extabuit, suaque integritate fratribus calumniam etiam in tumulo refutat. Ex Phil. Ferrar.

*Qui orationi vacare desiderat, suasque postulaciones offerre altissimo, sic se componat intus coram oculis Domini, ut non minus ipse, quam ejus acceptabilis fiat deprecatio. Non placet Deo orationis sacrificium, nisi placeat prius ipse, qui offert. B. Laurent. Justinian. Fascic. Amoris cap. 15.*

## S. GREGORIUS NAZIANZENUS.

9. Maii.

**G**REGORIVS à patriâ NAZIANZENVS, ab eruditione posteà THEOLOGVS dictus, cùm studiorum caussâ Athenas peteret, gravi tempestate jactatus, proximè ultimum vitæ discrimen fuit. Quis credat? quò felicitatis venti secundi nunquam tulissent, adversi tulerunt. Cùm enim vivisset, si ex his undis emergeret, sanctioribus Baptismi aquis caput mersurum, & vitam inter Religiosos acturum, illico cælum arrisit, & damnatus voti GREGORIVS navim non tam ad terram, quam ad cælum appulit. Porro Athenis commoranti uno eodemq; tempore & castitas & sapientia visendam se dederunt, & amanti ambæ lubentes nupserunt, puto ut arguerent juventutem nostram, quæ sine animi puritate sapientiam ducere nec quicquam allaborat. Exinde ut in studiis, & legibus monachorum condendis, ita etiam in bello contra Arianos Magno Basilio socius fuit; afferus in ipsum Julianum, in quo adolescente etiamnum Athenis tyrannum latere edixerat, palam & scribere,